



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Annalivm Trevirensium**

**Masen, Jacob**

**Augustae Trevirorum, 1676**

Liber III. Victor Rom. Pont. Sept. Severus Imp. Martinus Anastasius &c. Ep.  
Trev.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12542**

# LIBER III.

Victor Rom. Pont. Sept. Severus Imp.

Martinus Anastasius &c. Ep. Trev.

**R**eligio Christiana hoc tempore, Justino Martyre An. Chr. 200.  
 ac Tertulliano teste, latè toto vulgata orbe, ipsas *Iust. in Dial.*  
 Germaniæ ac septentrionis recessus, tanquam ad frigus *Tertul. in*  
 animorum non minus, quàm corporum damnatos, pe- *Apol. c. 37.*  
 netrare non potuit. Lucium tamen Britannæ Regem, *Lucius Bri-*  
 post Romanam profectionem, ab Eleutherio Pontif. re- *tanniæ Rex*  
 ligioni Christi unâ cum suis auctoratum, memorant de- *Christianus*  
 fertâ subinde regia ac regno, in Rhatiam ad Alpes se- *factus.*  
 transtulisse fidei propagandæ gratia, ac manere etiam *An Treviris*  
 num facti memoriam, & juxta Gutenbergiam clivum *baptizatus?*  
 S. Lucio sacrum. Sunt qui à Martino Trevirorum, Moy-  
 sis successore baptizatum asserant. Sed nescio, an his  
 par fides præstari queat. Illud constat, quod in Chri-  
 sticolis, quintâ Severus Imp. persecutione excitata, pas-  
 sim grassatus sit, ex agno repente lupus. Unde & Victor *Persecutio s.*  
 Rom. Pontifex Zephyrino succedente, & D. Irenæus; *sub Septim.*  
 cum tota penè Lugdunensium urbe, denique & Episco- *Severo*  
 pus Trev. Martinus, ANASTASIO surrogato, variis *A. C. 203.*  
 crudelitatis generibus sublatis sunt, cujus Treviri *usq; ad 210.*  
 memoriam ad XIX. Julii quotannis referunt. Seve-  
 rus porrò, ubi Britanniam ingenti per transversam In-  
 sulam sepsisset muro, filium Antoninum Caracallam *Antoninus*  
 ( sic à veste cucullata, quam induxerat, nuncupatum ) *Caracalla*  
 Eboraci mortuus, successorem habuit, qui à fratris Ge- *Imp. Fratrem*  
 ræ parricidio imperium orsus, postquam cruento in *& Gallos*  
 Galliam adventu, cædibus rapinisque illam exhausisset, *opprimit.*  
 bellum ad Danubium contra Alemannos transtulit,  
 quos continuisse eis limitibus, pro victoria fuit. Illorum *A. C. 217.*  
 tum primum & nomen cognitum, & explorata virtus,  
 latius deinde cœpit celebrari. Sed Caracalla, orien-

D s tem

Macrinus  
hoc occiso  
cum Diadu-  
meno fil. suc-  
cedit.

A. C. 220.  
Heliogaba-  
lus illis sub-  
latis imperat.

Alexander  
Severus Imp.  
succedit. Cu-  
jus Mam-  
mæa Mater  
Christianis  
addicta.

A. C. 235.

Quæ Wesa-  
liæ Trev. cum  
filio cæsa.  
A. C. 236.  
\*V. Vesalia.

Maximinus  
Imp. & Ty-  
rannus S. Ur-  
sulam cum  
pluribus mil-  
libus interfe-  
cit Colonia.

A. C. 237.

tem bello petens, sexto imperii anno occidit, à Macrino Prætorii præfecto, suæ vitæ formidante, præoccupatâ morte, sublatus. Quem cum Diadumeno filio in consortem imperii lecto, post annum magistratum, violenta quoque mors sustulit, luxuriosi hominis monstro Antonino Vario Heliogabalo parem in sortem substituto. Ita imperare & occidi, id temporis affinia erant, neminique regentium magis metuendum erat, quam quem multi metuerent.

Alexander deinde Severus Imp. licet Mammæa, Christianis addicta, Matre genitus, ad illorum tamen excidium, seu proprio, seu malevolorum ingenio concitatus, Callistum Rom. Pont. zephyrini successorem, ac post illum Urbanum, Pontiano in cathedram subeunte, per ministros his infestos sustulit: Anastasio verò Rom. & Andrea, Trev. Episc. quietius minusque infestum regimen obtigit, Rustico hic ad idem fastigium vocato. Nec impunis Alexandro hæc fuit immanitas. Quamvis enim non sine laude res belli forique administrasset, & Provinciis recens instauratis, Proprætorum loco, & Proconsulum (quorum illi Principium, hi Senatus Legati erant) Præsides regendis præfecisset, diuturnâ tamé orientalis belli absentia viluit ejus apud Rhenum autoritas, fatalisque huc reversio fuit; cum Fielix \* Maximino Thrace à militibus suffecto, ipse cum Matre Mammæa interemptus Trevirorum in agro sepultus sit. Simulque spes magna Christianæ religionis, jam in aulam ejus receptæ, succisa. Deploratum utriusque & Romæ & in Germania funus est.

Maximinus atrocis ingenii successor, ubi familiares Alexandri sustulisset, omnē in Christianos furorem effudit, Pontianum Anterumque Romanos Pontifices sustulit, ac famosissimam illam, me judice, perpetravit, Virginius Anglicanarum apud Ubios cædem, quarum Martyrio tota hodie inferior Germania nobilitatur ac consecratur, hæresi perfidiæque vix hic stabilem sedem hucusque figentibus. Scio Bro W erum aliosque hic fluctu-

fluctuare in tempore, atque ad seculum quintum rejice-  
re historiam malle, Attilæque tyrannidi hanc cladem  
imputare; Sed plura nobis hoc ævum argumenta com-  
mendant, Cyriacique, ex Romanis Pontificibus adjun-  
gendi, ut & Pantuli Basileensium & Foilani Læcentium  
Episcopi, in ætate & martyrio societas, vix aliud pati-  
tur. Quin & hoc seculum sub Alexandro imperante  
longè quam Attilæ tempora peregrinationi Romanæ,  
multis locis vestigiisque probatæ, est aptius: neque sub  
Thrace ductore Hunnorum ignorata crudelitas fuit;  
ut hi à tam barbara cæde iccirco sint eximendi. Sed,  
ut cetera omnia desint, lapides monumentorum plures,  
uti historiæ, personisque interfectorum diversis, ita tem-  
pori quoque fidem faciunt minimè aspernamdam: ut ex *Annöt. VII.*  
nostris ad I. Annal. tom. Notis, & Ursulana Crumba-  
*pag. 593.*  
chii historia, distinctius cognosces.

*Autor* interea Trevirorum Ecclesiam post Rusticum *Autor Trev.*  
moderabatur raræ probitatis Antistes, quem nonnulli *Episc. vir*  
persecutione quoque sublatum, alii naturali defunctum *sanctus, etiã*  
morte Confessorem venerantur. A posteris ille Brunf- *mortuus plu-*  
wicum Saxonie urbem translatus, ut vivus Treviros, *res ruetur.*  
sic illam contra hostes mortuus tutatus est, ac denique  
apud Paderbornenses Abdinghofense Monasterium re-  
nuisse memoratur. festivâ XX. Augusti recordatione  
honoratus.

MAXIMINO in imperio Gordianus puer, Autori apud *A. C. 240.*  
Treviros in cathedra *Mauritius* successit Episcopus, u- *Mauritius*  
terque brevis regni moderator. Nam huic triennio post *Trev. Episc.*  
*Fortunatum* præfulem felicibus auspiciis successisse; *& Fortuna-*  
illi, fastidio militum post quadriennium cruenta morte *tus.*  
sublato, Philippum Ducem Prætorianorum unâ cum *245.*  
filio surrogatum esse constat, qui cum Romam millesi- *Philippus Pa-*  
mo Urbis conditæ anno ad solenne sacrificiũ ex Galliis *ter cum filio*  
transiret. Pontius ejus Præfectus jam Christiana disci- *Imperator,*  
plinâ eruditus, monuit Christo hunc potius, quàm Jo- *Christiani in*  
vi honorem deberi, & persuasisse Philippo fertur, ut pri- *his primi.*  
mus Imperatorum cum filio Christianis accederet. Mar- *A. C. 248.*  
cia

Otacila e-  
jus conjugis  
memoria in  
numis.

*Vels l. 6. ver.*  
*Aug.*

A. C. 251.  
Decius Imp.  
Philippis in-  
terfectis, &  
Christianis  
oppressis,  
ipse à Gallo,  
hic à Valeria-  
no cæditur.

257.

Cassianus  
Trev. Episc.  
& post hunc  
Marcus.

Urbs Trev.  
ab Aleman-  
nis excisa.

263.

Valeriano  
Imp. a Sapo-  
re Persarum  
capto Post-

cia Otacila uxor ejus credita, simulque fidem amplexa, memoriam sui in numis Trevericis hac inscriptione reliquit: MARCIA, OTACIL. SEVERA. AUG. PIETAS AUG. S. C. Sed & T. Varius Clemens, Trevirorum id temporis Præses, ab Epistolis utriusque Philippo fuisse visus est, vir in paucis memorandus. At Philippus more Majorum armis suorum militum Veronæ interemptus est, Decio in flagitii præmium substituto, qui unius anni regimen dirissima in Christianos persecutione funestavit, indulgentiam erga hos Philipporum Fabiani Pontif. Rom. aliorumque cædibus ulturus. Quo Paludibus, in Mæssia contra hostes, merso, Gallus cum Volusiano filio ad imperium, & lapieniam militarem quoque, intra triennium, vocatus. Valeriano cum filio Gallieno purpuram cessit, non unius Christiani hominis sanguine inficiendam S. Cornelius tamen Papa, cujus venerandum caput Treviri asservant sub Gallo cecidit, Lucio ac non multo post Stephano ad clavum admoto. Quorum hic post Novatiani errorem in Gallia repressum, ad aram factus victima, Sixto locum fecit, ut glorioso ante Laurentium Diaconum agone decertaret.

*Cassiano* inter hæc apud Treviros sedes post Fortunatum patuit, anno 261. insequenti *Marco XVIII.* illorum Episcopo vacatura. sub quo barbari undique Rheni limitem Romanorumque custodiam penetrant, & Germani quidem agrum Ravennatem, Alemanni Moguntinum Trevericumque vastant, crediturque id temporis Augusta Trevirorum urbs, præcipua Romanorum his terris sedes, excisa, de cujus instauratione Constantino postea applausit panegyrista.

Miserat Valerianus Imp. in Gallias Posthumum ejus gentis hominem, obscuri quidem sanguinis; sed virtute bellica, & laude Imperatoris ornatum, cui tamen, in orientem ipse contra Persas discedens, Gallienum filium limitibus tutandis adjunxit. Hi consilia & arma sociabant;

bant; tantæque fides Posthumi visa est; ut Gallienus, humus Gal-  
 parum acceptus Gallis recedens, filium illi Saloninum lias contra  
 Cæsarem, disciplinâ militari imbuendum traderet. Gallienum  
 rùm ubi Valerianus, atrox ille Christi hostis, à Sapore occupavit,  
 Persarum Rege victus captusque, extremæ servitutis, hujus filio  
 notas pœnasque, pro scabello pedum adhibitus, subiit, Salonino in-  
 Gallieno spreto, diversi per orientem occidentemque terempto.  
 Tyranni imperium usurparunt, Saloninus quoque cum  
 militi hostilem prædam, quam Posthumus indulserat,  
 negasset, intra Agrippinensis Coloniae mœnia occisus  
 est, illique delatum imperium. Quod adversus Gallie-  
 num tuitus, cum Moguntiacum adversus Lollianum, Moguntia  
 summâ istic potestate imperantem, obsideret, nollet occisus.  
 que diripiendæ urbis facultatem avido militi cedere, A. C. 268.  
 tumultu interemptus, rursus amisit. At Victorinus Victorinus  
 collega Posthumi Lolliano oppresso sceptrum tenuit, collega vin-  
 dignis Imperatore virtutibus si vaga libido defuisset, dex Lollia-  
 Quâ cum, una cum Victorino filio, Coloniae funesta mor- num, hunc  
 te expiasset, Victorina mater animi virilis femina excer- cum filio, ob-  
 citibus imperare ausa, obsequentes amantesq; sui milites libidinem,  
 habuit, iccirco *Matriæ castrorum* titulo honorata, quem miles tollit,  
 Trevericis in numis, omni ære cufis, sæpius usurpat: Vi- Victorina  
 rum tamen viris præficiendum rata, Tetricum Aquita- Matri, obse-  
 niæ præsidem ad hoc munus pertraxit, fuitque, præci- quens: Quæ  
 pua horum sedes Treviris, plerorumque monetis, & ut numis Trev.  
 credible istic cufis, signata, Cerrè Diocletiani tempo- Mater castro-  
 ribus illustrem hic officinam rei exitisse monetariæ, rum dicta  
 Triumvirosque eidem præfectos, exploratum est, & est.  
 docent numi his literis S. TR. & P. TR. hoc est *signa-* Tetricū Imp.  
*tum, aut percussum, Treviris.* testanturque non ita pri- assumpsit.  
 dem effossæ in vitifero Carthusianorum fundo scabræ in- Treviris res  
 cudes formæque cudendis numis destinatae. monetaria  
viguit.

Invenit subinde in imperio locum vir, extra fidem 270.  
 Christianam, optimus, Flavius Claudius Constantii Cæ- Fl. Claudius  
 saris, vel patris, vel avus, qui cæso apud Mediolanum optimus  
 Gallieno, barbaris sensim ultra Rheni limites rejectis; Imp. ab Au-  
 sed inimicus Christi ejusque cultorum brevi ferrum la- reliano suc-  
 cessore cæsus

tere

Zenobia ori-  
entis Imp. &  
Tetricus, vi-  
eti & ducti in  
triumphum.

273.

tere hausit, & Domitio Aureliano, immaniori sese hosti, ne palæstra Christianis deesset, Italiam gubernandam reliquit. Nam zenobia Odenati Augusti relicta conjunx supra virilem istic majestatem prudentia ac fortitudine memoranda, amicis hostibusque dominabatur, seque cum Victorina superesse, quæ imperare viris nossent, non vanè hac rerum tempestate jactabat. Sed Aurelianus denique multas elatam victoriis majori vi pressit, captivamque duxit; ut hoc exemplo Tetricus rerum summam etiamnum in Gallia sustinens, venienti sese Imperatori ultro dederit; verum, spectabili cum zenobia triumpho, Romam abducendus.

Navitus Tr.  
& Tungrorū  
Episc. plures  
utrobique  
succesores  
nactus est.

Eodem tempore *Navitus* Trevirorum Episcopus, simul & Tungrorum, Marco successit; ut quas Mater-nus olim utriusque gentis Ecclesias rexerat, supremi rursus Pastoris curā moderaretur. Quod à septem deinde insequentibus Trevirorum Episcopis, usque ad *Agritium* Trev. Archiepiscopum, & *Servatium* Tungrorum Præsulem, utriusque Ecclesiæ Annales, factum testantur.

Jus eligendi  
Imp. ad Sen-  
atus Rom.  
arbitrium à  
milite rela-  
tum est.

Aurelianus non hostium minus gloriosè, quàm ignominiosè Christianorum purpuratus cruore, in medio fortunæ cursu servi *Mucapori* manu Jugulatus est: ut denique militem turpitudinis, in electione ac cæde suorum Imperatorum, pudor tangeret, arbitrioque Romani Senatus pristinum eligendi jus subiceret. Quo facto dum semestris spatii intercedit mora, Germani Rhenum transgressi, cum sparsum sine Duce exercitum Rom. profligassent, LX. facile urbibus per Gallias positæ sunt. Quibus primi subsellii Senatorem Tacitum Romani opposuere, non tam clade mœsti, quàm læti de electionis potestate ad se postliminiò relata, literis hac de re ad Treviros destinatis. *Ut estis, ajunt, liberi semperque fuistis. latari vos credimus, creandi Principis judicium ad Senatum rediit: simul etiam*

*Vopiscus in*  
*Floria.*

*Præse-*

*Praefectura Urbana appellatio universim decreta est.* Inscriptio hæc erat Epistolæ SENATUI AMPLISSIMO CURIÆ TREVIRORUM. Curiales enim in Colonia Rom. Senatores dicti, à præcipuo decurionum ordine. Quanquam magnam varietatem magistratum, & hic, & alibi in coloniis Rom. Codicis Theodosiani rescripta exhibeant. Quod verò Treviri appellentur *liberi*, id præsci juris olim eximium obtinere. Cum in duumvirum consulatu, inque Senatorio Equitumque ordine, Romanæ Reip. præ se ferrent imaginem, insuper Prætoriana ac Principum illic sedes, utque fas creditu, vectigalium ratio, locatioque, actionum civilium curia, & Annonarum, publicorumque operum cura penes eorundem arbitrium esset.

Tacitum, vix semestri transgressum, senium ac mors confecit. Florianus verò frater ad imperium subiit, gratiâ impari vix bimestri implens, cum, vitâ simul regnoque exturbatus, Valerio Probo se fortiori locum fecit. Qui instructo exercitu Gallias ingressus, septuaginta urbibus cis ultraque Rhenum occupatis, longè Germanos trans flumen non rejecit solum, verum & subjecit. Memorandumque hoc loco est, quod is magno numero Francos cis Rhenum, & in Batavorum ut apparet fines, receperit; cum non tantum excolendis agris, verum & nauticæ piraticæque insigni navium apparatu operam dederint; atque in mare mediterraneum usque in Africam Libyamque ac Græciam effusi, Syracusis nobilissima urbe expugnatis direptisque potiti sint. Hæc Francorum sese efferentium principia, Porro cum, apud Ubios, Proculus ac Bonosus contra Probum affectarent imperium, his citò feliciterque oppressis, ad Illyricum pacandum sese transtulit, ubi juxta Sirmium, consueto Imp. fato victima Martis cecidit, cum, militaris interhiberna otii impatiens, laborem parum volentibus imperasset. Tanti periculi res erat, militem irritasse, ut dubites, duxne an exercitus regendi sibi principatum vendicaret? Non defuere tamen qui sola imperandi libidine

Treviri libertate Rom. gavisi sunt.

Tacitus à Rom. Imperator lectus est.

A. C. 277. Valerius Probus successit. Nazar. in panegyri:

Zosimus l. 1. Francos cis Rhenum admittit, qui piraticam exercuere.

Probus Proculi & Bonosif victor, à proprio caudit milite.



Carus Imp.  
 cum filiis  
 succedit pro-  
 bo.

A. C. 282.  
 Carinus præ-  
 est Galliis,  
 Trevirisque  
 improbè.  
 Marcellus  
 Trev. Episc.  
 283.

Diocletia-  
 nus, Caro  
 cum filiis  
 sublato, im-  
 perat.

285.  
 Carinus ob  
 libidinè perit

Maximianus  
 Imp. Galliis  
 præficitur.

Thebæi mili-  
 tes, ab eo  
 traducti Al-  
 pes variis lo-  
 cis, pro Chri-  
 sto, cadunt.

286.

bidine hoc discrimen ambirent. Ita M. Aurel. Carus, cum Numeriano & Carino filiis admissus est, divisisque regionibus Carino Gallia, atque in hac Treviri regendi obtigere, qui juvenis in luxum intemperantiamque solutus, tam sibi indulgens, quam in alios crudelis fuit, sub quo Navitus Christi testis, sanguine pro fide dato, Marcello XX. Trev. Episcopo sedem reliquit. Romæ etiâ, post Dionysium, Felix Pontifex sub Aureliano; Eutychieanus sub Numeriano cadens, locum Cajo dedit. Carum subinde in oriente lapsum cælo fulmen, Numerianum, anno post, Apri, qui focer erat, gladius sustulit, ut iccirco Diocles Comes domesticorum, Aurelii Val. Diocletiani assumpto nomine, imperium occupavit, Aproneque velut per venationem & ludibrium confosso, Carinum in Mæsia ultorem sustinuit; vincendus, nisi is à Tribuno proprio, in ultionem contrectatæ uxoris, occidisset. Ita quem Mars non potuit, Venus profligavit. Sed hoc Galliarum dedecus alius, haud paulò immenior, successor cohonestavit. M. Aurelius Maximianus is fuit, à Diocletiano in Collegam assumptus, & cum Africa Hispaniaque, præfectus Gallis. Quorum ille gravissimus in oriente Christianorum hostis; ut sub quo sola Ægyptus 144. Martyrum censuit occubuisse millia, hic in occidente, non impari crudelitate grassatus, integras legiones militum, urbesque idolomaniam averfantes excidit. In quibus Augusta Trevirorum urbs facile princeps fuit. Res breviter exponenda est.

Bagaudarum in Galliis factio, hoc est agrestium hominum pro libertate arma rapientium, Amando & Aliano Ducibus, invaluerant. Contra quos à Diocletiano Maximianus, Thebæa legione in exercitus supplementum adjunctâ, missus est. Qui, post Alpes Penninas superatas, lustratis copiis apud Octodurum, Sacrificare omnes Diis jubet. Sed cum Thebæi, sacrilegii declinandi gratia, Agaunum deflexissent, submissi percussores, qui primo iteratòque decimum quemque, ac

demum

demum restitantes constanti in fide universos cæderent. quorum Duces Mauritius, Primicerius, Exuperius signifer, & Candidus senator. Alii Thebæorum ad Taurinum in Pedemontana regione: alii Soloduri in Helvetia cum Urso ac Victore Ducibus oppressi: alii ad Mosellam Rhenumque; adversus Carausium Menapium Romanis suspectum, missi sunt. In his quatuor è Thebæa legione cohortes erant: quarum primam Thyrsus, Secundus, & Bonifacius moderabantur, alteram Cassius, & Florentius, tertiam Gereon, Victor Primicerius quartam.

Thyrsus sociique, cum primâ cohorte Treviris recepti sunt, quando jam fama, de aliorum nece, vulgata, hos quoque Christianos esse sparserat; tantoque amantius & majori plausu ab orthodoxis in urbem hospitiisque admissi sunt, ubi Palmatius consulari tunc potestate præsidebat. Verum Riccius Varus Belgicæ Præses, Maximiani jussu eodem accersitus; animadvertere in omnes Idololatriam recusantes severissimè cœpit. Si quidem evocati in campum Martium cum milite Ducibus; ubi frustra sacrificium, Deorumque venerationem imperasset, exercitu conclusos morte nefandâ sustulit. Nec furor hoc sangvine extingui potuit. Amicos, Christiani militis receptores, Palmatium cum illustri Trevirorum Senatu, in quibus Hormisda, Papyrius, Constantans, & Jovianus viri Christianâ fortitudine, æquè ac splendore natalium inclyti, in hanc arenam evocati, cum sacrificare Diis nollent, variis tormentis subjecti, denique, cum capite, vitam posuerunt.

Neque hic sævitiae finis, universa ex urbe multitudo in campum Martium evocata, aut mori, aut Diis thus adolere jussa, mortem perfidiæ prætulit. Nam pari constantiâ Christum profitentes pridie Nonas Octobr. inclusos militari coronæ, promiscuâ cæde, nullo ætatis sexusque discrimine, trucidavit; adeò ut à colle Martis ad Mosellam usque, foedâ mortalium strage, sed gloriosa cadentibus, squalerent agri, & flumen, ad cuius se-

Thyrsus Dux cum sociis & cohorte sua Treviris cæditur à Riccio Varo.

Palmatius Consul Trev. cum Senatu occiditur.

Plebs Trev. promiscua cæde martyrium subit.

E ripam

ripam plures receperant, ad decem facile passuum milia sanguinolentis undis proflueret. Cujus rei argumentum sacellum vetus, superiori jam ævo instauratum, in ora Mosellæ paulò supra Noviomagum, tanquam limes purpurati fluminis, hodieum superest.

**Cassius Bon-**  
**na, Gereon**  
**Coloniæ, Vi-**  
**ctor Sanctis**  
**interimitur.**  
Eadem subinde tempestas cohortem alteram Thebæorum, cum Cassio ac Florentio Ducibus, Bonnae deprehensam involuit. quibus hac in causa occumbere pro victoria fuit. Gereon verò, cum aliquot è Mauritaniana manipulis, cadens, Coloniam Agrippinam nobilitavit, ut Victor cum sociis Coloniam Trajanam, ab eo sanctorum deinde oppidum nuncupatam. Tanti erat ad loci æstimationem, vel horum pro Christo cadentium corpora exceperit.

**Maximianus**  
**cæsis Bagau-**  
**dis, repressif-**  
**que Germa-**  
**nis, Trevis**  
**residet.**  
Post tragicam hanc in proprium militiæ robur latinam exercitam, velut piacularibus jam hostiis perfolutis, contra Bagaudas progressi, rusticanorum facili copias, bellandi arte consiliisque destitutas, dissipaverunt, sed majus deinde Maximiano adventanti, cum Germanis, passim limitum custodiam, non sine hominum periculis, præda, perfringentibus, certamen fuit. Unde opportunam sibi Trevirorum Coloniam pro sede potissimum deligere rerumque ac hominum ruinas subinductis idololatriæ instaurare cura fuit. ut hinc velut circum munitissimo præsidio in hostem sese efferret, nec si pernegyristæ credimus, absque operæ pretio, cum, ut ait

**Mamert.**

**Vota Impp.**  
**Trevis per-**  
**soluta.**  
Quare & tum cœpere Trevis, solennia Imperatorum nuncupari vota singulis vel lustris, vel decenniis aut vicenniis instaurari: publicis victimis, pro salute illorum cæsis, non sine publica largitione solita. Quæ ab Augusto Cæsare consuetudo, per quinquennium decenniumque primò, ac vicennium, ex indultu populari, imperium prorogantis solennique illud supplicatio

ae ordientis, originem duxit, & ad posteros est propaga-  
ta. imperio deniq; velut ex jure perpetuum occupato.

Ita Christianis rebus Treviri profligatis, Marcello A. C. 287.

etiam illorum Pontifice sublato, non defuit tamen suc-  
cessor *Metropolis*, qui ad idem se, cum onere, disci-

Metropolis  
Trev. Episc.  
Marcello  
Martyri sur-  
rogatus,

men offerret, remque illic orthodoxam supremâ autho-  
ritate tueretur, Illius, cruentâ morte sublato, memo-

ria perstitit ad IV. diem Septembris. Politica tamen  
dignitas Trevirorum, à folio Imperatoris ibidem con-

stituto, haud paulò illustrior extitit, ut *Ausonius* purpu-  
ratus Vates, *in suis*, *de claritate urbium*, versibus me-

minit, dum ita canit:

*Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,*

*Trevericâq; urbis solum: qua proxima Rheno,*

*Pacis ut in media gremio secunda quiescit:*

*Imperii vires quod alit, quod vestit, & armat.*

Maximianus, Germanis feliciter trans Rhenum rejectis,  
purgatâque Galliâ, Mediolanum in Italiam se contulit,

288

ubi cum Diocletiano, qui advenerat, communicatis  
consiliis, divisis imperii curis limitibusque, de adjutore

uterque ac successore legendo constituere. Reversus  
deinde Treviros Maximianus, post vota quinquenna-

lia persoluta, Francos sub Genebone Duce, Batavia po-  
sitos, Carausioque nuper infelici bello sociatos, in ami-

Franci ad  
Trev. agros  
excolendos  
admissi.

citiam recepit, atque ad Trevirorum & Nerviorum  
agros excolendos admisit, nunc quidem hospites ser-

vosque, sed aliquando dominos futuros, hospitali do-  
mo in possessionem versâ.

Porrò ut Imperii molem in aliorum humeros simul  
inclinarent, Diocletianus adoptavit in filium Cæsarem

Diocletianus  
& Maximia-  
nus filios &  
successores  
adoptant, &  
hic quidem  
Constantiû.

que Galerium Maximianum Dacum; Maximianus ve-  
rò Flav. Constantium Dardanum, ex Patre Eutropio, &

Claudia Romana natum, militiæ juxta togæque virtu-  
tibus clarissimum, qui Germanicis jam in oris celebris

Helenam Trevericæ nobilitatis feminam duxerat, ex  
eâque susceperat in Britannia Constantinum, Magni

cognomento inclytum. Sed ut Diocletianus suam Ga-  
lerio,

A. C. 291.

Helena Trev.  
Constantiū  
ad fidem  
convertit.

lerio, ita Maximianus filiam in thalamum Theodo-  
ram, velut pignus speratæ fidei, obtulit. Unde libellus  
repudii Helenæ datus est. quæ tamen, quod in viro so-  
latium amisit, in filio præstantissimo reperit. Cumque  
Treviris suo in palatio relicta, castrorum esse mater  
non posset, Ecclesiæ Christianæ parens, tam in marito  
ad fidem instructo, quàm Constantino ad eandem ex-  
stimulato, fuit. Ita ex Trevirensi foemina lumen uni-  
versam Ecclesiam illustraturum affulsit.

299.

Carausicus à  
Romanis  
pulsus ab  
Alecto socio  
opprimitur,  
uti & hic à  
Constantio.Qui dubia  
forte cum  
Alemannis  
pugnans, de-  
nique vicit.Literarum  
studia in pa-  
ce alit.

Subhæc applauserunt Treviri Mamertino, ut vide-  
tur, Oratore Maximiano & Constantio, dum Natalem  
Romanæ urbis celebrant, ovantque de Carausico ad o-  
ceanum usque (quo adhuc navali potentiâ fruebatur)  
victoriosis armis submoto. Quem eodem anno Ale-  
ctus, armorum socius, sibi vendicatio maris imperio  
fustulit; mox ipse, per Constantium, æmulâ classe, in  
Britanniæ litora, aciemque Prætorianorum, quæ ce-  
cidit, adigendus. Ita duplicem perfidiam in Romano  
& amicum unâ clade expiavit. Hæc prima belli for-  
tuna celebrior Alemannicâ victoriâ, licet ancipiti casu  
ventilatâ, fuit. Nam circa *Lingones*, ait Eutropius, *una  
die adversam & secundam fortunam expertus*, primò  
quidem victus vulneratusque, vix per funem incolumi  
urbe receptus est, moxque aggressus securos, velut  
dissipato hoste. Alemannos, septuaginta illorum millia  
profligavit. Quâ reliquis Germanis clade quietem  
persuasit, seque ad remp. in Galliis & litterarum studiis  
excolenda convertit, cum Treviris, tum præcipuè Au-  
gustoduni in Galliis apud Æduos eloquentiæ palæstrâ  
excolta. Unde Eumenius, præclari nominis Orator  
id temporis in Constantii laudes disertè erupit. Treviris  
verò ejusdem Constantii figuram in ære suis ex officio  
nis hac inscriptione productam vidimus: **CONSTAN-  
TIUS NOB. CÆS. & in altera facie GENIO PO-  
PULI ROMANI. S. F. TR.**

Dispar Maximiani ac Diocletiani in Pace studium  
Verfi

Verſis enim ad Chriſti fidem expugnandam armis, decima graviffimaque in Chriſtianos perſecutione graſſati ſunt. Verum licet plus in pace, quam bello ſanguinis paſſim fuſum ſit, tamen decem annorum ſtragibus fides auctior, novae alimenta vitae gloriaeque, ex ipſis caedibus, ſumpſit. Quare etſi Gallia a Rictii Vari crudelitate immunis non eſſet, cadente etiam apud Treviros Metropolo, tamen illo ex gutta plumbi oculum feriente diriffime cruciatio per ignes, quos desperans ſubiit, examinato, Chriſtianiſ deinde his in oris ſub Constantio vivere quietis licuit. quin & ipſi, ut dixi, his profeſſione veritatis acceſſiſſe creditur, Helenam ſtimulos ad haec ſalutis conſilia ſubjiciente,

contra Dioclet. & Maximianus in Chriſtianos ſervi- ant perſecutione decima & graviffima.

Rictii Vari poena.

Jam Severinus poſt Metropolum Treviris Sedem adierat, quando, & Marcellus poſt Marcellinum, Romae pro fide occumbentem, pontificatum admiffit; Sed & illi martyrio brevis ad caelum via patuit: vix trienniali epifcopatu perfuncto: quae Florentio in ſede, & palma, altero poſt anno, ſucceſſori aperta etiam fuit. Cum tamen Diocletianus Maximianuſque communicato conſilio privatam vitam, poſitis ſceptris, publicae curae praetuliffent. An quod hoſtium victores de Chriſtianiſ victoriam desperarent? an quod, rariffimo exemplo, quietem honoribus praehaberent? Et hic quidem Constantino Constantii filio, quem Pater apud Britannos moriens ſibi ſurrogarat, cum Fauſta filia, Imperatoris nomen Treviris obtulit. poſtquam glorioſam de duobus Francorum Regibus Aſcarico & Ragaiſo Rhenum tranſgreſſis victoriam, captis, triumphatiſque Ducibus, reportaffet: ut panegyrica oratione teſtatum accepi- mus. Sed Maxentius Maximiani filius, invito, & ad imperium rurfus aspirante Patre, tyrannidem occupaverat, unde ad Constantinam, non tam amore, quam neceſſitate converſus, hoc per inſidias ſublato, ſperavit adverſus filium copias ſibi militumque fidem non defuturam. Sed Fauſta parentis artibus inſpectis has marito prodi- dit, & patre, quam conjuge deſtitui maluit, Illa igitur

A. C. 304.

Severinus & Florentius Epifc. Trev. ſucceſſores Metropoli omnes Martyrio affecti.

Constantinus in imperio ſuccedit. Francos vincit.

307.



Maximianū  
sibi insidian-  
tem tollit.

Martinus  
Episc. Tr. &  
Martyr.

309.

Constanti-  
nus pontem  
Rheni im-  
ponit, & Tre-  
virim egre-  
giis ædificiis  
ornat.

A. C. 311.

Contra Ma-  
xentium, vi-  
sā apud Tre-  
viros cruce  
caelesti, ani-  
matur.

312.

Massiliæ intra mœnia occupatus, digno se exitu, vitam laqueo absolvit, & inconsulræ ambitionis pœnam dedit, quâ cum imperare non posset, voluit: qui noluerat, cum posset. Tanta est humanorum desideriorum inconstantia, cum neque propriam neque alienam fortunam sæ æquo animo sustinemus. Constantinus porrò bellis, quam religione, nondum agnitâ, felicior, haustam in Diocletiani & Maximiani aulis de Christianis existimationem & odium nondum ad Matris Helenæ consilia deponebat. Quandoquidem præter alios Florentium *Martinumque* ejus successorem, annuo solum episcopatu functos, cruentâ morte sustulit. tantum ex hac re decus, quantum ex Bructeris devictis habiturus gloria. Quanquam dum in theatro Treviris victos feris dilanos objecit, crudelitatis hic quoque ignominiam non subterfugerit. cum bellatoribus ad pœnam sufficientibus ab hominibus victos succumbere.

Pontem subinde apud Ubios Rheno imposuit Divitiensi munimento conjunctum; ut metum transrhenanum conciliaret, qui interjectu fluminis audaciores Romanis sæpe imminebant. Augustam verò Trevirorum urbem, magnificis operibus & pristinas ruinas instaurendo, & nova extollendo ædificia, latè exornavit. ut circa basilicis, curia, foroque amplissimo conspicienda, altera jam Roma videri posset. Ubi postquam Natalitia, quinquennialia vota exsolvisset, ad expeditionem, adversus Maxentium suscipiendam animum adjecit. Quo cum esset, contra potentem Romanumque hostem plena discriminis, anxium diu sollicitumque prudentissimum Imperatorem tenebat. Nam, si omnem Rheni Mosellæque ripis militem abduceret, vacuum prædiario milite litem, Galliamque universam Germanis expositurus erat; sin, impar longè Maxentio occisurus. Noviomagi id temporis intra Rheni Mosellæque flumina, hujus in ripa, sex infra Treviros viarum horis, castra locaverat. His egresso, dum trepidè fl.

Stat, crux illi sese in aere his verbis, εν τῷ αἰθρι

\* conspicua objecit, totius exercitus oculis & admiratione excepta. Quam à Superis sibi in victoriae argumentum proponi ratus, in Labaro militari praeferi iussit, Alpesque & Italiam minoribus longè copiis, sed majori fiducia praetergressus, Maxentium cum suis Romam exeuntem, juxta Tiberim ad pontem Milvium superavit, tyrannoque fluctibus hausto, Romam triumphans Occidentis jam Dominus, ingressus est. ac repub. inibi composita, Treviros sequenti anno revertit; ut violatae istic fidei ream Francorum gentem, atque in limitibus Rheni exultantem, armis componeret. quos bello victos captivosque, rursus ludis Trevericis cum feris victos feris magno numero in arena commisit, variasque, cum Licinio conf. ibidem leges promulgavit.

In hos vinctos.

Labaro Crucis praetato Maxentium vincit.

313. Francos Deo obicit.

Interea Romae sub Miltiade Pontifice, indultu Constantini, synodus in causa Caeciliani & Donatistarum instituta est. in qua Maternus Colonienfium Episcopus, cum Rheticio Augustodunensi & Marino Arelatensi, praeterito Maximino i. Trevirorum Episcopo, delecti Judices, Donato condemnato, Caecilianum Carthaginienfium Episcopum innocentem pronuntiarunt. Quae deinde Arelate rursus agitata eundem exitum sortita est. At Miltiades, sequenti anno extinctus, Silvestro praestantissimo Pontificum locum fecit. Quo tempore Constantinus cum Licinio inimicitias armis, que, semel in Pannonia, iterumque in Thracia collisus, utrobique victor, post instauratam gratiam, Crispum ex Minervina, & Constantinum ex Fausta natos, pronuntiavit Caesares; & illum quidem in Treviros evocatum, sibi in praefectura armorum suffecit. quanquam & eloquentiae sub Lactantio operam istic dare voluerit, cum qua & Christianae religionis pietatem hausisse creditur, ac didicisse improbae Faustae Novercae libidini, ad quam implendam poscebatur, resistere. quae tamen illi apud Patrem, per Novercam accusato, exitialis, deinde & Faustae, post compertam levitatem, fuit, illo veneni

Sub Miltiade Pont. in Romanâ & Arelatensi synodo donatistae damnantur.

314. 315. Silvester Rom. Pont.

Crispus Caesar Treviris armis & studiis dat operam.

Novercae libidine perit.



frigore, hac calore balnei sublatâ. Dolendo sanè optimi fortissimique adolescentis casu, qui & Alemannorum & Francorum non uno prælio victor, raram propugnata Gallia gloriâ meruerat; plurimis numis apud Treveros percussis honoratus, in quibus PRINCEPS JUVENTUTIS & ALEMANNIÆ VICTOR proclamatur.

A. C. 320.  
Maximinus & Valentinus Trev. Episc. & Mart. Tungros simul moderati sunt.

Inter hæc fluctuante etiamnum Constantini in Christianam religionem animo Idololâtras sævire etiamnum patiebatur: Unde Maximinus Trevirorum Antistes decimo sui regiminis anno Martyrii palmâ donatus, Valentino sedem reliquit, qui Trevirensibus juxta Tungrisque, ut & multi Antecessorum, præfectus, cum & sibi cruentam pro Christo mortem imminere sentiret, fertur (verè an symbolicè, non definio) episcopale pedum aræ imposuisse, ac posteris sub anathemate vetuisse dimoveri, donec nutu Superùm proprius ejus Ecclesie Pastor signaretur. qui septennio post D. Servatius fuisse visus est. Quin & Trevirensis totidem penè annis sedes vacua S. Agritium, meliori sorte pristina compensantem in religione damna, admisit.

Vacua utrobique sedes.

326.

Constantinus Magnus lepra percussus baptisate mundatur.  
D. Helena Mater in orientem profecta Reliquias insignes refert.

Constantinus denique graviori à Deo impulsus læ præ malo, post quæsitâ nequicquam remedia, nocturno per quietem viso monitus, ad baptismi salubriores aquas confugit, quas Silvester Pontifex, ex latebris ad publicam libertatem productus, eidem contulit, animæ corporisque juxta salutem elargitus. Inde alia Ecclesie Christianæ affulsit serenitas, & Helena Mater tenerius in filii amorem penetravit, seque in orientem summa Constantini voluntate transtulit, ut Christi crucis aliâque Servatoris nostri insignia, quæ sibi jam ante ad victoriam præfulsisse sensit, in lucem observationemque produceret. Quod felici eventu præstitit, augustissimisque Reliquiarum, tum S. Crucis, tum Sanctorum corporum reliquiis ditata, in occidentem reversa est.

327.

LIBER